

ius appellatur *cæcitas*, & *cæcitas ens privativum* dicitur. Similiter homo vivit, sed idem quoque vita orbari potest, id est mori; mors itaque est privatio vitæ, & ens privativum dicitur. Contra vero ens *positivum* dicitur, quod est aliquid; ita visus est ens positivum. Quia autem ens positivum, & privativum simul esse non possunt, ideo dicuntur privative opposita.

II. *Neccessarium* dicitur id, cuius oppositum impossibile est seu contradictionem involvit. Si in re quadam loco unius substitui possit aliud quidpiam, vel si possit iis quæ insunt aliquid aliud, quod non inerat, accedere, cæteris, quæ in eadem re sunt, iisdem manentibus, tum res ipsa, tum illud, cuius loco aliud substitui potest, dicitur *mutabile*. Hinc liquet quandonam aliquid actu mutetur, nempe dum non amplius manet idem; vel si sit quod ante non erat, vel si non sit, quod ante erat, vel si sit aliud, quam ante erat. Viceversa si in re quadam nihil sit, cui aliud substitui possit, cæteris iisdem manentibus, nec etiam aliquid accedere queat, erit etiam ea res, atque etiam illud, cui nihil aliud in eadem re substitui potest, *immutabile*.

III. Quod necessarium est, illud est immutabile. Etenim si attributum aliquod necessario inest subjecto, nihil in locum attributi substituere licet, cæteris iisdem manentibus, ac proinde attributum est immutabile, ideoque & subjectum respectu attributi immutabile est. Viceversa, quod immutabile est, illud est necessarium; etenim ponamus attributum, quod inest sub-